

Lorenz Bodock    Ludwig Braun

## **Collegii Logici, Disputatio Secunda, De Ente Rationis, Et Intentionibus Primis Ac Secundis**

Rostochii: Kilius, 1640

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729602907>

Druck    Freier  Zugang



L. Bodenk.

Th. U. phil. 1640.



*Jos. Conrad & Sebastianus de Theod. P. & Pul*

AUSPICE DEO

COLLEGII LOGICI,  
DISPUTATIO SECUNDA,

DE

**ENTERA-**  
**TIONIS,**

ET

INTENTIONIBUS PRIMIS

AC SECUNDIS,

QVAM

*Amplissima Philosophica facultatis consensu*

In Includa Rosarum Academia

PRÆSES,

M. LAURENTIUS A BODOCK,


ET RESPONDENS

LUDOVICUS BRAUN

ROSTOCHIENSIS,

*Publica disquisitioni exponunt*

In Auditorio Majori ad diem 6. Junij. pomerid.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1640.

*Handwritten notes in brown ink, including names and dates, written vertically along the right margin of the page.*



VIRO

*MAGNIFICO, ADMODUM RE-  
VERENDO, EXCELLENTISSIMO*

**Dn. JACOBO FABRICIO,**

Medicinæ Doctore celeberrimo  
experientissimo,

*Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini,*

**DN. CHRISTIANI IV.**

Daniæ Norwegiæ Regis augustissimi,  
&c. &c. &c. Personæ Medico, Archiatro Mega-  
politano, Ecclesiæ Arhusiensis Prælati, Superiorum Mathematicum  
& artis Medicæ in inclytâ Rosarum Professori  
gravissimo, dignissimo,

*Dno. Mæcenati, Fautori, Promotori multis  
nominibus venerando . suspiciendo,*

Hanc disputationem Philosophicam  
sistit & offert

**Ludovicus Braun**  
Respond.



ΣΥΝ ΗΘΩ

THESIS I.



**N**aturam Logicæ ad lancem ac u-  
raticis iudicij & examinis, nō per ponderan-  
tes, per peximus luculentissimè illam quibus-  
dam rationis entibus sive secundis intentioni-  
bus, primis applicabilibus, ex instituto occupa-  
ri, & in actu saltem exercito de Entibus ratio-  
nis velut Universalibus, prædicato, subjecto, argumentis &c. agere.

2. Quare non immeritò post quæstiones Proæmiales, ante ipsa  
Universalia sive Prædicabilia, aliaq; instrumenta notificandi, in Entium  
rationis secundarumq; Intentionum, primis applicabilium  
quidditatem inquiremus, eò saltem scopo ut rationem Universalis,  
aliorumq; Logicorum sciendi organorum, ægrè absq; Entis ratio-  
nis velut generis, intentionumq; secundarum cognitione in-  
notitiam cadentium, facilius & felicius compertam habeamus.

3. Communis est & unanims gravissimorum Doctorum con-  
sensus, Entia rationis non esse merum nihil, sed habere aliquod  
esse diminutum, sive secundum quid, quod per hoc additum, ex-  
plicatur, *Esse rationis.*

4. Indubitatum enim est intellectum nostrum non minus  
quam imaginativam potentiam, ea quæ nullam habent realem  
entitatem, posse confingere. Hinc ipse Aristot. 6. Met. t. 14. Præ-  
ter entia extrâ animam à parte rei existentia, alia quædam entia  
admittit, quæ nullum habent esse nisi in animâ, id est in sola ap-  
prehensione & consideratione mentis.

5. Ens verò rationis impropriè illud appellari censemus, quod  
ab intellectu realiter efficitur, aut in eodem realiter suscipitur;  
cum compertissimum sit Operationes intellectus, species intelli-  
gibiles, omnesq; intellectuales habitus, æquè produci ac recipi ab in-  
telle-

tellektu; ob quod tamen non desinunt esse entia realia, imò ex eo ipso accidentia esse maximè realia, convincuntur: tam quatenus ab intellectu per realem efficientiam producuntur, quam quatenus ab eodem sustentantur; sic enim illa accidentia exercent causalitatem realem causæ formalis, nempe informationem.

6. Ens rationis pressè & propriè sumptum sic posse describi autumamus. Est id quod nullum proprium esse habere potest nisi *objective* in intellectu. Diximus *objective* quia ipsi nullum esse convenit remota actione mentis, ad distinctionem entis realis, quod quamvis non obijciatur intellectui, esse suum reale obtinet. Diximus expressè de *esse*, quia Entia rationis possunt quidem præter operationem intellectus rebus convenire: *esse* tamen nullum possident, præter illud, quod beneficio intellectus fortiuntur.

7. Ad essentiam autem Entis rationis, minimè spectare, contra plerosq; existimamus, ut per modum entis veri concipiatur. Quemadmodum enim aliud est loqui de substantiâ secundum se, aliud de eadem respectu intellectus nostri imperfecti; pari pacto aliud est loqui de ente rationis respectu imbecillis nostri intellectus, qui illud propriè concipere nisi negotiando, & ad verum ens conferendo, nequit: aliud secundum se loqui de ipso, cum ex eo sufficienter consurgat, quod esse cognitum sive diminutum habeat. Plura ad publicum consuetum reservamus.

8. Ut jam nostrum iudicium de illis denominationibus, V. G. cogniti &c. iudicium patefaciamus, de quibus non mediocriter inter egregiæ notæ philosophos disceptatur, illis lubentissimè suffragium nostrum adjicimus, qui illas Entia esse rationis, largius tamen sumpta, nec sub latitudine entis realis contineri affirmant.

9. Cum enim intellectio dicat habitudinem attingentiæ ad objectum cognitum, ipsa verò res cognita saltem terminet illam intellectiois habitudinem, acquirit inde esse aliquod, quod cum non sit inhærens aut informans intrinsecè objectum cognitum, dicitur denominatio extrinseca, estq; sine dubio esse diminutum, sive esse secundum quid, sive quod idem, esse cognitum, importans jam relationem quandam rationis aptitudinalem, quæ nempe, licet non sit relatio rationis secundum esse rationis; est tamen jam relatio secundum

dupl.

*dum dici rationis*, apteq; coexigentia five concomitantia verorum obiectorum, cognitionis nempè considerantis, et obiecti illam terminantis appellatur.

10. Quam coexigentiam habere esse objectivè in intellectu considerante ostendimus, exindè quod denominatio extrinseca nihil ponat in objecto, sed præcisè insurgat in illò quia aliqua forma realis ad illud terminatur, in illoq; aliquod esse, derelinquitur; quod nondum quidem est entis rationis in rigore sumpti quidditas, à solo intellectu negotiante, formam aliquam nanciscens, sed est esse diminutum entis veri, ab actu intellectus simplici, & absolutè res apprehendente productum; quod esse diminutum, Ens rationis, largè tamen sumptum, five denominationem extrinsecam dicimus.

11. Ens rationis universim acceptum, in negationem, privationem & relationem rationis sufficienter dividi, non facile nobis persuaderi patiemur optimè cernentibus illam non esse adæquatam, siquidem entia mere ab intellectu conficta, (ut Chimæra, Hircocervus,) non complectitur, quæ sunt vere entia rationis, licet nec inter negationes, nec inter privationes, neq; inter relationes rationis referantur, cum Chimæra V.G. sit instar cujusdam animalis, ex multis animalibus incompossibilibus compositi.

12. Rectius itaq; Ens rationis sic dispescimus. Primo in absolutum & respectivum. Hoc vero rursus in respectivum ut primò & absq; fundamento consideratum, & in respectivum secundò & cum fundamento cognitum. Quæ divisio hâc explicatione elucidatur.

13. Cum entia rationis totum suum esse ab actu intelligendi accipiant, ideo pro diversitate actuum, diversa consurgunt entia rationis: diversitas verò horum intelligendi actuum, spectanda est penes modum illa objecta considerandi, quæ vel præcisè habent esse objectivum vel non præcisè, sed partim objectivum, partim reale.

14. Actus ergò illi qui attingunt objecta, quæ non præcisè sunt objecta, sed sunt etiam entia vera, omnes ejusdem generis ens rationis producant, nimirum omnes solum ens rationis absolutum, hoc est denominationem extrinsecam V.G. cogniti principiant.



15. Actus autem intelligendi, à prioribus diversus, actus inquam comparativus, si attingit illa objecta, quæ tantum sunt objecta, i. e. quæ solum habent esse objectivum, quorum videlicet esse non præsupponitur intellectioni, sed mere ab intellectu confingitur; novum genus Entis rationis constituit, non jam absolutum sed respectivum, h. e. comparationem sive relationem rationis.

16. Deinde intellectus, quandoq; absq; fundamento pluralia entia vera quidem sed impossibilia comparat, & ut unum quid imaginatur; & talia entia rationis mera figmenta, sive respectiva primò considerata appellantur.

17. Quandoq; verò prævijs cogitationibus verorum objectorum præhabitis quasi fundamentis, advertens se illa objecta percepisse redit quodammodo, supra suam intellectionem, & secundo illa objecta cognita contemplatur, atq; circa illa velut circa fundamenta negotiatur, in quibus sagaciter quasdam proprietates & aptitudines deprehendens, easq; ut secundo quasi considerans, quasdam quasi umbras illarum proprietatum fundamentis attribuit, illas proprietates per modum relationis realis concipiendo.

18. Exemplo rem clariorem reddimus. Deprehensà intellectus in homine V.G. aptitudine ad inessendum multis individujs, illam aptitudinem, secundo, & quasi in umbrà à se conficta considerat, relationem quandam rationis, quam vocamus speciem, seu prædicabilitatem de multis numero differentibus, illi aptitudini tribuendo. Et tales relationes, entia rationis secundo considerata, sive secundæ intentiones vocantur. Quarum jam natura eò melius, ex hisce de Ente rationis idcirco præjectis, intelligi potest.

19. Intentionem hic non secundum communem usum linguæ peritorum, ut significat actum voluntatis, sed intellectualiter sumimus, quatenus ex philosophorum sensu, tendentiam intellectus in objectum, vel apparitionem quandam objecti intentionalem, connotat. Unde postea & esse intentionale, præter esse virtuale & proprium cum Philosophis admittimus.

20. Quod

20. Quod adhuc esse intentionale ( ut intentionem Logicam ab omni ambiguitate depuremus ) duplex statuimus *Primo* intentionale repræsentativum, quod est esse ipsiusmet intellectiois in quâ objecta velut in imagine & similitudine relucent, estq; reale, non apparens, sive quod clarius, est esse intentionis formalis, ad philosophicum potius non ad Logicum spectans. *Secundo* intentionale objectivum, ab illo reali sive intentionali repræsentativo distinctum, quod est esse ipsiusmet objecti, in cognitione velut in imagine resplendentis, estq; apparens non reale, sive quod lucidius, est esse intentionis objectivæ quam solam Logicus respicit, ejusq; usum experitur.

21. Et tale esse intentionale objectivum principalius objecto convenire non diffitemur, tanquam ei quod formaliter capit, tale esse intentionale, id est esse apparens. Cognitioni verò sive tendentiæ in objectum, tale esse intentionale, minus primariò & impropiè competere asseveramus, cum eatenus duntaxat prædictum nomen intentionis ei serviat, quatenus est quædam tendentia ad intentionale, sive ad id quod est apparens, quodq; est objectum & oblatum intentioni formali.

22. Hic jam illorum mens minime arridet, qui intentionem *primam* per imaginem objecti. *Secundam* per imaginem imaginis definiunt; partim cum hæ definitiones intentionibus formalibus, id est ipsis conceptibus conveniant, qui sunt quidem imagines, non verò objecta in his imaginibus relucentia: sunt quidem tendentiæ in intentionem objectivam sive in apparitionem intellectualem, non tamen ipsæ sunt apparitiones ejusmodi, cum realiter & semper ab intellectu velut à subjecto inhesionis dependeant: partim quod hæ definitiones minimè tangant intentiones objectivas, circa quas Logicus versatur, quasq; in usum omnium scientiarum, applicandas rebus dispensat.

23. Nec illi de benè degustatis philosophiæ sacris absq; serupulo gloriari possunt, qui intellectiones ipsas formaliter, ac principaliter nomen & rationem intentionis objectivæ, vendicare autumant. Cum illa sit intentio formaliter objectiva in Logicâ & alijs disciplinis existimanda, quæ vel applicatur, vel alteri substat. Quis autem sentire

sentire vellet in Logicâ unam intellectionem alteri per prædicationem applicari, aut unam alteri ut fundamentum subverti?

24. Nos intrepide intentionem in sensu jam intellecto, objecto propriè competere dicimus, illamq; & quidem primam sic definimus. Est res vel realitas ut conceptibilis vel ut concepta actu: sive (ut Scotus & ex ipso Gutkius,) est conceptus objectivus natus immediatè accipi à re ipsâ sine fictione intellectus negotiantis. V. G. homo, vivens, &c. non frustra addimus *realitas, conceptibilis*, præter enim res actu existentes, & præter objecta actu concepta, dantur quædam intentiones primæ, ut sunt omnes essentielles & quidditivæ perfectiones; imo præter res & realitates, universalissimus conceptus entis nomine & ratione intentionis primæ gaudere jurè merito potest, prout à parte rei omnem intellectionem antecedit; quem cave, ne rem vel realitatem appelles, cum eò ipso priorem à parte rei Divinâ essentiâ realitatem absurdissimè admittere cogereris.

25. Intentionem verò secundam sic describimus. Est relatio rationis per actum intellectus negotiativum, in rebus cognitis derelicta, & à rebus cognitis ut fundamentis, non tantum occasio natis, verum etiam determinativis & originativis procedens. Taliter descripta intentio primæ applicatur, & clarissime ab illo ente rationis ab intellectu sine fundamento conficto segregatur.

26. Hæc definitio ut eò notior habeatur. Dicimus, præter occasionatum entis conficti fundamentum, aliud in ipsis rebus dari determinativum intellectus, ad fabricanda quædam certa & determinata Entia rationis; quæ fundamenta, vocantur aptitudines sive proprietates, quas intellectus post cognita objecta per actus intelligendi absolutos, atq; etiam per actum comparativum, redeundo supra illa cognita, in rebus ipsis deprehendit, ab illisq; ad conficiendas certas intentiones secundas, id est relationes rationis determinatur, ab homine V. G. ejusq; proprietate ad prædicandum de multis individuis, ad intentionem *speciei*, ab animali ad intentionem *generis*. Et sic de alijs. Hic jam lubentissimè contradicentem nostræ opinioni audiemus.

27. Sed prædicationem Intentionum, cujus non mediocris  
usus

usus est, horrere silentij suppressere nolumus, ob quam etiam præcipue naturam illarum, Entisq; rationis præmissimus. Quomodo enim prædicationem Intentionum cognosces? siquid sit Ens rationis, intentionis secundæ genus, & quid sit intentio secunda Entis rationis species, ignorabis?

28. Antequam de prædicatione aliquid scribamus, hæc prius necessaria præmittimus. *Primo* dupliciter à nobis intentionem secundam considerari, partim in *abstracto*, sive ut *Quid*, partim in *concreto* sive ut *modum*. *Secundo* prædicationem duplicem à nobis statui, *Exercitam*, & *signatam*. *Exercitam* illam vocamus quæ actu exercet & quasi exequitur id quod *signata* significat. V. G. *Homo est animal*. *signatam* vero illam intelligimus, quæ id significat quod prior in actu exercito exercet ut *Animal prædicatur de homine*, sive *animal est prædicatum hominis*. Tertio, multipliciter comparari intentiones asserimus; vel enim intentionem primam de primâ, vel secundam de secunda & de primâ prædicari posse non dubitamus. Qualis vero illa prædicatio esse debeat, cum plerisq; quoad præcipue intentiones primas inter sese collatas litigamus.

29. Nos itaq; intentionem primam in concreto de aliâ primâ in concreto, vel inferiori, vel æquali, vel superiori bene prædicari censemus; sive sit de essentia ejus, sive commune accidens. V. G. homo est animal. Homo est rationalis, homo est risibilis, homo est doctus.

30. Intentionem in abstracto de aliâ in concreto, & intentionem in concreto de aliâ in abstracto nunquam absq; falsitate prædicari concedimus, sive se habeant tanquam superius & inferius, sive sint æquales. V. G. homo est humanitas, homo est rationalitas, aut risibilitas aut nigredo. Abstractum enim significat per modum partis, concretum per modum totius; pars verò V. G. pes vel manus non prædicatur de toto V. G. homine.

31. Intentionem generis in abstracto, primo intentionaliter sumpti, de intentione in abstracto, differentia primò intentionaliter acceptæ. Et vice versâ & c. recte prædicari minimè arbitramur. V. G. rationalitas est animalitas, vel Animalitas est rationalitas. Cum gradus, genericum nempè & differentialem formaliter esse diversos

C

& in

& in abstracto significatos non se includere sciamus, quia nec animalitas includit formaliter rationalitatem, nec rationalitas animalitatem, & sic per consequens una de altera non prædicatur formaliter.

32. Prædicationem superioris intentionis primæ in abstracto, de inferiori aliâ in abstracto, non solum in terminis accidentalibus, ut, *humanitas est albedo*, sed etiam in terminis substantialibus, ut, *humanitas est animalitas*, falsam esse, contra Sotum q: 3. universaliter. Canterum cap. de differentia, & Scholasticos, concludimus. Ut enim vera sit aliqua prædicatio, requiritur quod quidquid continet subjectum, contineat prædicatum actu vel potentiâ, sed animalitas non continet actu vel potentiâ quidquid continet humanitas: ergo non potest verè de illâ prædicari. *Major certissima. Minor probatur*, Humanitas enim continet animalitatem & rationalitatem, ex quibus componitur: sed evidens est animalitatem non continere rationalitatem actu nec potentiâ, cum non habeat modum totius actualis, nec potentiâ, sed partis vel formæ: ergo non potest verè prædicari de humanitate.

33. Instituendo deinde secundarum intentionum inter se comparisonem. Secunda intentio *ut quid* sive in abstracto, de alia secunda intentione *ut quid* prædicari potest, tam signatâ quàm exercitata prædicatione, si eam respiciat velut superius suâ inferius, ut, *Intentio secunda est relatio rationis*. Genus est Universale. Quæ non minus conveniens est, quàm hæc, *Albedo est color*. Paternitas est relatio. Quemadmodum enim de accidente reali, superius prædicatum, quidditative enunciat, si utrumque in abstracto sumatur, secundum abstractionem immediatam à subjecto sive fundamento. Ut *Albedo est color*. Ita de Ente secundum quid, id est de accidente rationis quod est intentio secunda, superior intentio secunda in quid, tanquam de suo inferiori commodissimè prædicatur, ut, *Intentio est relatio*.

34. Omnis secunda intentio superior sumpta in concreto, tam in actu exercito quàm in actu signato, de omni aliâ secunda intentione inferiori in concreto, sub se contentâ prædicatur. Ut, *Species est Universale*: sicut enim illa Enunciatio est vera, in quâ unum extremum connotativum, de alio extremo connotativo

sive prædicatur, cujusq; extremis idem correspondet connota-  
tum, ut Candidum est coloratum; quia accidens essentialiter  
superius nempe *color*, est de essentia accidentis inferioris, id est  
albedinis, prædicaturq; de accidente inferiori ut genus de sua  
specie. Non dissimili ratione, verissima erit enunciatio & illa,  
in quâ secunda intentio superior in concreto accepta, de secunda  
intentione inferiori prædicatur, & cujus etiam extremis idem  
correspondet suo modo connotatum, ut *Species est Univer-*  
*sale*. Non minus enim in suo genere, superior intentio est de  
essentiâ inferioris, sicut non minus in suo genere, superior est  
*Genus*, inferior *Species*, nec minus utraq; connotativè & in con-  
creto sumpta, unum habet subjectum & fundamentum conno-  
tatum V. G. hominem; quam V. G. ista Candidum & coloratum,  
nempe parietem.

35. Omnis ad extremum secunda intentio, collata cum pri-  
mâ, de illâ in concreto sumptâ, prædicatur quidem, non tamen  
prædicatione per se. Cum secunda intentio tale sit primæ acci-  
dens, quod illi non per se sed per accidens competit. Et ita istæ  
Enunciationes *Animal est Genus. Homo est Species*, veræ quidem  
sunt, at non per se, ut patet. Hæc sunt è modulo imbecillis in-  
genij deprompta, quæ lubentissimè maturo & defæcatissimo Am-  
plissimæ Philosophicæ Facultatis, judicio devovimus, cen-  
suram illorum ne pili æstimantes, qui carpere citius  
possunt quàm æmulari, laureolamq; in meris  
multaceis quarere satagunt.

## SOLI DEO GLORIA.



### Corollaria.

1. *An Deus faciat Entia rationis fœlitia? Ne-*  
*gatur.*

2. *An*

Perfectus est in se affectu entis.

2. An illa cognoscat? Affirmatur.

3. An Deus facere possit entia saltem rationis habentia esse per resultantiam? Affirmatur.

4. An alia facultates praeter intellectum possint aliqua rationis entia fabricare? Affirmatur.

An convenienter a plerisque docetur. Intentiones secundas produci quidem ab actu intellectus comparatiuo; sed non cognosci nisi ab alio intelligendi actu, nimirum reflexo? Negatur.

Handwritten notes in the left margin, including references to 'P. roch. c. 11', 'Bijlafeld. c. 9. p. 133', and other philosophical or theological citations.



Main body of handwritten text, likely a philosophical treatise or commentary, containing numbered points (1-11) and dense Latin script.







usus est, horrore silentij suppressere nolumus, o  
cipue naturam illarum, Entisq; rationis premi  
enim prædicationem Intentionum cognosces  
tionis, intentionis secundæ genus, & quid sit in  
tis rationis species, ignorabis?


28. Antequam de prædicatione aliquid scriba  
cessaria præmittimus. *Primo* dupliciter à nobis i  
dam considerari, partim in *abstracto*, sive ut *Quid*  
sive ut *modum*. *Secundo* prædicationem duplici  
*Exercitam*, & *signatam*. *Exercitam* illam voca  
cet & quasi exequitur id quod *signata* significat.  
*mal*. *signatam* vero illam intelligimus, quæ id  
or in actu exercito exercet ut *Animal prædicatur*  
*mal est prædicatum hominis*. Tertio, multipli  
tentiones asserimus; vel enim intentionem præ  
secundam de secunda & de primâ prædicari po  
Qualis vero illa prædicatio esse debeat, cum præ  
cipuè intentiones primas inter se collatas litig

29. Nos itaq; intentionem primam in concre  
concreto, vel inferiori, vel æquali, vel super  
censemus; sive sit de essentia ejus, sive commu  
homo est animal. Homo est rationalis, homo  
est doctus.

30. Intentionem in abstracto de aliâ in concre  
tionem in concreto de aliâ in abstracto nunq  
prædicari concedimus, sive se habeant tanquam  
us, sive sint æquales. V.G. homo est humanitas  
litas, aut risibilitas aut nigredo. Abstractum  
modum partis, concretum per modum totius;  
vel manus non prædicatur de toto V. G. homi

31. Intentionem generis in abstracto, primo in  
pti, de intentione in abstracto, differentia primæ  
acceptæ. Et vice versâ & c. recte prædicari min  
rationalitas est animalitas, vel Animalitas est  
gradus, genericum nempe & differentialem for

C



the scale towards document

077

Image Engineering Scan Reference Chart: TE263 Serial No.